



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Accessus Sacerdotalis Ad Condignè excipiendas fidelium Confessiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)



## Accessus Sacerdotalis

Ad

Condignè excipiendas fidelium  
Confessiones.

*Antiphona.*

**D**ominus illuminatio mea , & salus  
mea , quem timebo ? Dominus  
protector vitæ meæ , à quo trepida-  
bo ?

## Psalmus 42.

**J**udica me Deus . & discerne causam  
meam de gente non sancta , ab ho-  
mene iniquo , & doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea , qua-  
re me repulisti ? Et quare tristis incedo ,  
dum afflitit me inimicus ?

Emitte lucem tuam , & veritatem  
tuam , ipsa me deduxerunt , & adduxe-  
runt in montem sanctum tuum : & in  
Tabernacula tua.

Et

Præparatio

Et introibo ad altare Dei: ad Deum  
qui lætitiat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus  
meus: quare tristis es anima mea?  
Et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc con-  
fitebor illi: salutare vultus mei, & Deus  
meus.

Gloria Patri &c.

Psalmus 133.

**B**enedicam Dominum in omni tem-  
pore: semper laus ejus in ore  
meo.

In Domino laudabitur anima mea:  
Audiant mansueti, & lætentur.

Magnificate Dominum mecum: &  
exultemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, & exaudivit  
me: & ex omnibus tribulationibus me-  
is eripuit me.

Accedite ad eum, & illuminamini:  
Et facies vestra non confundentur.

Iste pauper clamavit, & Dominus  
exaudivit eum: & de omnibus tribula-  
tionibus ejus salvavit eum.

Im-



ad S. Tribunal.

Immittet Angelus Domini in circuitu  
Timentium eum: & eripiet eos.

Gustate, & videte quoniam suavis est  
Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes Sancti  
ejus: quoniam non est inopia timenti-  
bus eum.

Divites eguerunt, & esurierunt: in-  
quirentes autem non minuentur omni  
bono.

Venite filii, audite me: Timorem  
Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam: dili-  
git dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam à malo: &  
labia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, & fac bonum: in-  
quire pacem, & persequere eam.

Oculi Domini super justos: & aures  
ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes  
mala: ut perdat de terra memoriam  
eorum.

Clamaverunt justi, & Dominus ex-  
audivit eos: & ex omnibus tribulatio-  
nibus eorum liberavit eos.

Juxtâ

Præparatio.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde : & humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum : & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima : & qui oderunt justum , delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum : & non delinquent omnes, qui sperant in eo, Gloria Patri &c.

Psalmus 66.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos , & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes.

Latentur , & exultent Gentes : quoniam judicas populos in æquitate : & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes : terra reddit fructum suum,

Bene-



Ad S. Tribunal.

Benedicat nos Deus , Deus noster, benedicat nos Deus : & metuantem omnes fines terræ.

Gloria Patri , & Filio &c.

Psalmus 69.

**D**eus in adjutorium meum intende : Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur & revereantur : qui querunt animam meam.

Avertantur retrorsum , & erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi : Euge ! Euge !

Exultent , & latentur in te omnes, qui querunt te , & dicant semper : magnificetur Dominus , qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus sum , & pauper, Deus adjuva me.

Adjutor meus , & Liberator meus es tu , Domine ne moreris.

Gloria Patri &c.

c

Re-

Præparatio

Repetitur Antiphona.

**D**ominus illuminatio mea , & salus  
mea , quem timebo ? Dominus  
protector vitæ meæ , à quo trepidabo ?  
Kyrie eleison , Christe eleison , Kyrie  
eleison.

Pater noster.

- ¶. Et ne nos inducas in temptationem.  
¶. Sed libera nos à malo.  
¶. Convertere Domine usquequò.  
¶. Et deprecabilis esto super servos tuos.  
¶. Sacerdotes tui induantur justitiam.  
¶. Et sancti tui exultent.  
¶. Exurge Christe ! Aduva nos.  
¶. Et libera nos propter Nomen tuum.  
¶. Veni sancte Spiritus , reple tuorum  
corda fidelium.  
¶. Et cui amoris in eis ignem accende.  
¶. Domine exaudi orationem meam.  
¶. Et clamor meus ad te veniat.  
¶. Dominus vobiscum.  
¶. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

**M**entes nostras , quæsumus Domine ,  
lumine tuæ claritatis illustra , ut vi-  
dere

ad S. Tribunal.

dere possimus, quæ agenda sunt: & quæ  
recta sunt, agere valeamus. Misericors,  
Omnipotens Deus, universa nobis ad-  
versantia propitiatus exclude, ut mente,  
& corpore pariter expediti, quæ tua  
sunt, liberis mentibus exequamur.

Clementissime Jesu! hoc denique sa-  
crum pœnitentiaæ Sacramentum admi-  
nistrare volumus in amore illo superex-  
cellenti, quô illud sanctificasti, cùm  
præ vehementissimo salutis nostræ de-  
siderio illud instituisti, & ab Apostolis,  
eorumque successoribus administrari  
voluisti, ad laudem Dei Patris, & salu-  
tem totius generis humani: rogantes,  
ut in unione amoris tui tam nobis, quam  
omnibus, & singulis, quibus illud mi-  
nistrabimus, cedat in augmentum salu-  
tis, & beatitudinis æternæ. Spiritus  
Sancti gratia ita illuminet, accendat, &  
conservet sensus nostros, & corda no-  
stra, ut juxta tuum summum benepla-  
citum injunctum ministerium perficere,  
& ab omnitionum incursu præmu-  
niri, & præservari mereamur. In No-

Exercitium

mine † Patris , & † Filii , & Spiritus  
† Sancti. Amen.

Nos cum Prole Pia , Beneſdi-  
cat dulcis Virgo Maria.

**I**N actuali exitu ad S. Tribunal recite-  
tur vel *hymnus de S. Spiritu* : Vel  
Rythmus : *Anima Christi, sanctifica me.*  
Dum surgitur ex Confessionali, sit sta-  
tim in ore *Te Deum Laudamus.*

Recessus Sacerdotalis  
post  
Administratum S. Pœnitentiae  
Sacramentum.

*Antiphona.*

**M**agnificat anima mea Dominum,  
quia respexit humilitatem meam.

Psalmus 117.

**C**onfitemini Domino , quoniam in  
saeculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israël , quoniam bonus:  
quotiam in saeculum misericordia  
ejus.

Dicat



post S. Confessiones.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam  
in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc, qui timent Domi-  
num: Quoniam in sæculum misericor-  
dia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum:  
& exaudivit me in latitudine Domi-  
nus.

Dominus mihi adjutor: non timebo,  
quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor, & ego de-  
spiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino:  
quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino:  
quam sperare in principibus.

Omnis gentes circuierunt me: & in  
nomine Domini quia ulti sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me:  
& in nomine Domini quia ulti sum in  
eos.

Circumdederunt me sicut apes: &  
exarserunt sicut ignis in spinis: & in no-  
mine Domini, quia ulti sum in eos.

Impulsus eversus sum, ut caderem:  
& Dominus suscepit me.